

ex arundinibus in ipsa aqua & lignis extructas à quibus etiam raro prodeant, & si modò exeant ex illis non itinere terrestri, sed nauiculis per fossas, quibus plurimum abundant, vehuntur, bibuntque aquas calidas, & stagnantes, & à Sole putrefactas, & ab imbribus auctas. Ipsæque Phasis fluuiorum omnium lentissimè fluit, ideòque & fructus qui ibi proueniunt insalubres sunt, & voces eorum, si hominum vllorum grauissimæ sunt, & distinctius voces graues causam sortiuntur cum musculi asperæ arteriæ & epiglottidis, seu potius laryngis & intercostales moueri non bene possunt. Vnde & res ipsa & causa experimento deprehenditur in his qui diu clamauerunt, & magna voce: nam debilitatis musculis, & diuilla tunica interièrè arteriæ, & dilatata larynga, seu fistula supra modum, vt 4. de Locis, cap. 6. post principium, fit vox grauis: ipse verò qui vertit obscuram appellauit, non tamen prorsus idem sunt vox obscura & grauis, sed grauem exemplo declarauit: de obscura non est hîc sermo. In libro etiam de Voce & anhelitu Tract. 2. qui licet inter spurios referatur Galeni, tamen est, quamuis ex Arabico conuersus, nam ad illos translatus est ex Græco, proponit duas causas grauitatis vocis dilationem arteriæ asperæ & fistulæ, & humidam substantiam instrumenti: quia certè minus resonat: sed hoc tamen, vt dixi, magis ad obscuritatem pertinet, quàm ad grauitatem. Palam autem est, quòd humidum descendens pòst in cauitatem arteriæ rauca reddat vocem, propter inæqualitatem. Rauca autem à clangosa differt (appello autem rauca eandem cum aspera) dicebat ergo Galenus secundo in primum Epidemiorum, Comment. 78. quòd vox aspera fit ob asperitatem membrorum voci deferuentium, & enumerat asperam arteriam, guttur, fauces: clangosâ verò secundo in primum Prorhetici, dicens, Comment. 12. quòd est querula, plorabunda, sed quòd debent, &c. deterior tamen plorabunda, & quòd ex clangosa fit à siccitate, intelligit ergo per asperam inæqualem, quæ fit aliquando ob pituitam solam, & aliquando quum partes aliquæ sunt siccæ valde, aliquæ in pituita plenæ, & ideo duplex est hæc asperitas, vt patet, & significat caput imbecille, distillationem ab illo, & debilitatem membrorum spiritualium, & ideo necesse est vt sint subiecti morbis pessimis.

Et huiusmodi ciuitatis situs.] Difficultas huius textus est ex defectu vnius verbi, aut mutatione: nam quum dicat Hippocrates, *Οτι πολὺ τε μέσον γίνεται ἢ τε ἐνθινῆ κ' ἢ πρὸς τὴν δέξιαν*: quorum verborum sententia hæc est: Quoniam multum inter matutinum & vespertinum medij intercedit, adiungere temporis pro medij: quo sensu nihil absurdius, quasi loca quæ occidentem respiciunt longiorem habeant diem: hoc enim pertinet ad vrbes, in quibus polus mundi multum eleuatur supra orizontem. Multò minus ad sensum hîc pertinet: quamobrem ad μέσον, quod est medium adiciere, vel intelligere oportet in qualitate, seu varietatis: id est, quoniam multum differt calor vespertinus à frigore matutino, & est clarus sen-

Tom. VIII.

sus, & fundatus in duobus Aphorismis, 4. & 8. tertiæ particulæ, Quando eadem die modò calor, modò frigus, & inconstantibus temporibus.

Et de ventis quidem.] Epilogum proponit eorum quæ dicta sunt in hoc 2. cap. & est quod ipse tractauit, de ventis siquidem per quatuor extremos intelligit medios: atque hîc dubium non est, quin eadem sit ratio, quæ extremorum, verum contingit dubitatio, quoniam apud Vitruuium lib. 1. cap. 6. iubet vrbes exædificari, ita vt vix non sint expositæ principalibus ventis. Quæritur igitur an ea ratio etiam multum faciat. Certè Vitruuius solùm intendit, vt molesta vis ventorum tollatur, iuuabit ergo aliquid quoad ad qualitatem prauam, non tamen multum in occulta, appello occultam constitutionem, quæ accidit ex ventis de causis eorum, vide lib. 8. cap. 2. & 5. eiusdem, & Philandrum explanatorem. Sed & de ventorum causis & generatione, in eodem quinto secreta multa explicat: & censet duas esse, vnam naturam aëris, cuius partes moueantur, vt in animalibus & à aqua maris: sed hoc de mari non nouerat, de aqua generaliter cognouit, & concoctionum eorum quæ conclusa sunt in visceribus terræ, nostro exemplo. Modum tradit de aëre, quòd spisset se, ac expandat, contrahat, ac diducat, ergo à solis exortu antequam illucescat radiis superioribus aër diffunditur, quo dilatato, dissipatur aër qui sursum est, & ventus generatur. Sole ascendente dissipatur: quum autem de ventis egisse dicat, plus hoc posse quàm solis aspectum ex radiis decreuit Hippocrates.

LECTIO XXX.

Super I.

TEXT. III. LIRRI

CÆterum de aquis deinceps narrare volo, quæ morbosæ sint, & quæ saluberrimæ, & quæ mala ab aqua fieri verisimile est, itémque quæ bona. Plurimam enim partem conferunt ad sanitatem.

Hic proponit rursus quoddam proceuium, postquam tractauit de ventis transit ad aquas, ostensurus duo quæ morbosæ sint & saluberrimæ: hoc ad essentiam pertinet: quantum etiam possint aquæ, & quæ mala ac bona efficere valeant, hoc ad operationem, dicit tertio, quòd omnia hæc plurimum conferunt ad medicinam, non videtur dicere quòd sit necessaria, quomodo autem vtilia sint hæc medico patet, quoniam aquæ pluribus modis: primum vt potus: secundum vt condimentum: tertium vt nutrimentum herbarum & fructuum, vt infra videbitur, cap. 8. quartum, vt aërem mutat: quintum, vt medicamentum tam interius, quam exterius, quomodo autem duæ hæc intentiones distingui debeant